

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4170

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Magny-les-Hameaux, Port-Royal des Champs (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1248, juin

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, donne à l'abbaye Port-Royal la rente annuelle de 50 livres tournois de Montmartin.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1185, p. 325.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex. Notum facimus quod nos, ob remedium anime nostre et animarum inclite recordationis regis Ludovici, genitoris nostri, et carissime domine et matris nostre, Blanche, regine Francorum illustris, abbatie monialium de Porresio, Cisterciensis ordinis, damus et concedimus in puram et perpetuam elemosinam L libras turonensium anni redditus in villa que dicitur Mons Martini, et si dicta villa non sufficeret ad solutionem perficiendam dictarum L librarum anni redditus, cum in eadem percipere debeat alias L libras ex dono nostro abbacia monialium de Thesauro Nostre Domine, ejusdem ordinis, residuum caperetur in villa que Petitvilla appellatur, quas videlicet villas habet et tenet dilectus et fidelis noster Matheus de Marliaco, ex dono et concessione felicis recordationis regis Philippi, avi nostri, et tenebit et habebit toto tempore vite sue, ac redditum similiter dictarum quinquaginta librarum similiter et liberi ejus post eum, si quos habuerit in posterum ex uxore sua desparsata ; et hanc donationem fecimus salvo omni jure alieno, et hoc insuper salvo et retento semper quod si aliquando dictaret nobis conscientia quod de dicta villa aliquibus restitutionem facere vellemus, nobis liceret non obstante predicta donatione. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>, mense junio, regni vero nostri XXII, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; signum Stephani buticularii ; signum Johannis camerarii ; constabulario nullo. Data, vacante cancellaria.